

† R. P. Iosephus Mayer.

(Prov. Argentor.).

Maiores in Tiroli meridionali sedem habuisse dicuntur. Quod si verum est, quo pacto inde Vindobonam migraverint, et quomodo factum sit, ut Iosephus Budapesti nasceretur, cum tamen etiam nativa indole sua Vindobonam prae stulerit, ignoramus. Constat vero eum in urbe Hungariae capite die 6 augusti a. 1850 primum vagitum edidisse, sed Vindobonae adolevisse et linguam hungaricam ne cognovisse quidem. Pater ephippiorum artifex erat. In domo eius mater familias praesertim vitae religiosae spiritum nutritivit; ipsa enim, cum puella S. Clementem vidisset ab eoque vitae spiritualis incitamenta accepisset, pietatem, quam ab eo didicerat, in liberos suos transferre studuit. Praeter Iosephum soror praesertim haec pietatis semina in cor suum recepit, quae in monasterio Gleink Visitationis B. M. V. vitam religiosam professa est et multos annos illi monasterio praefuit. Frater minor Alphonsus iuris prudentiam secutus Vindobonae causarum patronum agit, Iosephus vero noster, cum studia gymnasialia peregisset, annos natus undeviginti Con-



gregationem nostram ingressus et die 28 iulii a. 1870 vota religiosa professus ac die 12 augusti a. 1873 sacerdotio auctus est.

Studiis deinde absolutis Vindobonae paucos annos in scholis religiosae institutioni vacavit, simul vero ipse animum mentemque excolere studuit, cuius rei occasionem optimam nactus est, cum summo viro P. Andrea Hamerle familiariter uti posset, quod ipse maximi deinde per totam vitam fecit. Eius aliorumque consiliis, studiis suis ac oratione mox, quamquam magna ac splendenti dicendi arte non eminebat, tamen oratoris popularis optimi vim ac virtutem adeptus est. In provincia Austriaca deinde in 53 missionibus, 19 renovationibus laboravit, 10 tridua octavasve, 37 exercitia spiritualia, quinque cursus contionum cotidianarum mense maio egit. Et quamquam mox a Domino in alium laborum campum vocatus est, corde tamen a patria avelli numquam passus est. Tempore praesertim immanis belli multum pro patria sua Austria oravit, qua denique diruta et dilapsa dolore maximo affectus est. Cum vero imperatorem Carolum, ad quem, dum in Prangins moratur, spiritualis succursus causa semel atque iterum vocatus erat, in exsilio Funchaliensi mortuum esse comperisset, lacrimas cohibere non potuit.

P. Mayer enim, cum certaminibus religiosis in Germania finitis a. 1894 nostri quoque in Alsatiā reverti potuissent novaque ibi provincia praepararetur, rogante Pl. R. P. Hanger, ut provincia Austriaca auxilium aliquod sibi ferret, libenter se profectum professus est. Anno igitur 1895 in collegium Bischenbergense venit, ubi viginti fere annos permansit. Pegrinantium agmina, quae ad imaginem gratiosam B. Mariae V. dolorosae convenire solent, at tempore persecutionum (*Kulturmampf*) exsiliique nostri intermissae erant, cura maxime P. Mayer, qui toto illo temporis spatio praefectum ecclesiae egit, revixerunt. Ecclesia damna satis multa perpessa eius cura refecta est. Ipse enim, cum artium peritus esset, picturarum figurā conficere potuit, et cum patrimonio suo non parceret, suo sumptu multa perfecit. Itaque septem dolores B. Virginis in altari maiore delineati, altare pulcherrimum Matris de perpetuo succursu, quattuor imagines in choro ecclesiae depictae, duae crucē missionis, sacella viae crucis, quae ad coemeterium venientium oculos in se trahunt, refecta eius operam laudant.

Praeter confessiones contionesque in ecclesia Bischenbergensi habitas P. Mayer multum etiam in labores apostolicos foras exivit. Missionibus ex hac domo interfuit 124, renovationibus 38, exercitia spiritualia 131 habuit, tridua octavasque ultra 100.

Anno 1914, cum belli exorti strepitum ferre non posset, domo Bischenbergensi relecta in regionibus Germaniae superioris laborare coepit et in tempore tam atroci exercitia popularia 56, ad sorores religiosas 45, ad sacerdotes vero 4 habere potuit, saepe sacerdotibus in cura animarum

auxilium tulit. Waldshut civitas his belli annis eum praecipue habuit; ibi libentissime morabatur populoque gratissimus erat. Bello finito et pace Versaliensi facta P. Mayer, cum civis Germanus esset, in Alsatiam et Bischenberg reverti non potuit, sed mense februario a. 1919 communitati Bertigniensi in Helvetia addictus est, ubi iuvenes nostros in schola delineandi artem docuit et in confessionali multum laboravit, sed etiam, quamquam 70 annos natus, in 7 missiones, 7 renovationes, 20 exercitia spiritualia et saepe variis occasionibus oblatis ad verbum Dei praedicandum exivit. Bernae collegium virorum apostolicum, cui praeerat, tantopere eius operam aestimavit, ut, cum iussu superiorum in Mariawyl migravisset, petarent, ne congregationem suam desereret. Etiam a. 1924 in missionem exivit et in pago Aargaviensi per hebdomadem integrum ad viros contiones habuit. Extremas quasi cycni morientis voces in honorem Beatae Virginis edidit, cum inter festi Pentecostes octavam in celeberrima ecclesia Einsiedlensi sermonem fecisset.

Cum in nominationibus a. 1924 in alteram domum helvetica in Mariawyl (*Baden*) admonitor creatus esset, aegre quidem, sed prompta oboedientia ductus novam stationem suam die 7 iulii petiit, in qua duas tantum hebdomades moraturus erat. Caelo mutato male affectis pulmonibus, tussi, ciborum fastidio gravabatur. Medicus ad eum vocatus pulmonum catarrhum agnovit, sed remediis adhibitis die 20 iulii periculum sublatum esse putavit, ac duobus diebus post P. Mayer cum communitate ad coenam consedit; at mox spiritus angustiis correptus est, ita ut fratrem sibi servientem rogaret, ne illa nocte se desereret. Precibus vespertinis a communitate dictis P. Superior eum in lecto sedentem et aegre spiritum ducentem repperit, manu ad cor porrecta innuentem se cordis doloribus, affligi. In lectum reclinatus, cum P. Superior absolutionem ei dedisset paululum refectus est, et extrema unctione statim administrata paucis adhuc precibus iaculatoriis dictis paucisque venarum ictibus datis spiritum Deo reddidit. Pax sacra in vultu mortui resplendebat, aesi is, qui labore diurno fatigatus esset, ad quietem tandem cubitum ivisset.

Dei gloriam per animarum salutem promovere Patris Mayer moribus penitus insitum erat. Haec S. Clementis virtus singularis piae matris operi indita esse videtur. Qui eo conscientiae directore usi sunt, bene norunt, quam graviter pericula saluti animarum imminentia monstrare solitus sit, quamque fortiter conatus sit, ut sacerdotes pastorali sollicitudine excitarentur. Quod non verbis tantum, sed tota vitae sua ratione egit, cum studio salutis animarum quasi consumeretur. Ut contionibus suis quam maxime prodesset, silvam rerum undique conferre sagedit, qua re chartularum ex ephemericibus detractarum aliarumque rerum copiam immensam collegit, quo factum est, ut tam amoeno ac populari dicendi genere sermonibusque his temporibus convenientibus homines alliceret. Ita etiam id

assecutus est, ut sermonibus ad sodalicia aliave occasione oblata habendis semper par esset, qua re animarum pastoribus multum profuit. Vox eius clara et valida, etiam cum senuisse, ne in maximis quidem ecclesiis deficit. Valetudine bona maximis quoque laboribus par erat, nec facile incommidis eius cedebat, et quamvis diu pedis quodam vitio laboraret et itineribus pedestribus haud parum afflictaretur, tamen rem prudenter dissimulabat, ita ut, qui ad contiones eius adessent, vix umquam animadverterent verbi Dei praecomenem non solum contionando et orando, sed etiam patiendo animabus succurrere. Iuventutem praesertim a periculis huius temporis vindicare studens monere non destitit, ne in vitae flore maximum salutis animarum negotium neglegerent.

Viva voce ac verbis vero P. Mayer in salute animarum curanda non contentus penna quoque et atramento usus libros asceticos fere viginti conscripsit, e quibus aliqui a scriptoribus quidem aliis confecti, ab eo autem retractati vel in linguam germanicam traducti erant; primarium inter eos locum occupat opusculum de Iesu amoris virginalis fonte (*Jesus, unerschöpflicher Liebesquell der Jungfrauen*) a. 1725 a P. Waldner S. I. editum et usu utilissimum. Belli tempore librum in usum viduarum praeparabat, quo singulis anni diebus singularum sanctorum mulierum exempla eis imitanda proponerentur. Ea nunc paulatim in fasciculis periodici nostri a S. Anna nuncupati (*St. Anna-Blatt*) typis eduntur.

Proprium sibi denique P. Mayer habuit tertium apostolatus subsidium, artis scilicet religiosae peritiam ac studium, ob quod in Austria, Germania superiore Helvetiaeque a sacerdotibus permultis inter varios nominis sui socios artificis cognomine (*Kunstmayer*) insignitus est. Architecti quidem ipse cultu et eruditione caruit, at cum de aedificandis exornandisque aedibus divinis praescripta ecclesiae optime novisset, delineandi artem usu didicisset ac elegantia et iudicii subtilitate praeditus esset, multi ab eo consilia petiverunt, quae dare numquam renuit. Ita in ecclesiis non paucis Helvetiae memoria eius servabitur, et imprimis in dilecta eius Waldshut, ubi ecclesia eius ope ita instaurata est, ut operum arte factorum thesaurus esse videretur. Quominus in ecclesia nostra Mariavillana idem perficeret, morte praecipitatus est.

Homo apostolicus autem animae suae curam non minoris fecit quam alienarum. Vere homo orationis amans fuit. Domi forisque, si quid temporis supererat, rosarii globulos moventem videre poteras. Non sine commotione eum spirandi angustiis et pedis inflammatione affectum caerimonias sacras ad altare religiosissime observantem Iesumque in sacra hostia considerantem videres. Ne in ecclesiam ad imaginem B. Mariae V. miraculosam visendam et s. sacrificiorum, quae in ecclesia offerebantur, gratias acquirendas descenderet, oboedientia tantum, cum id necesse videretur, adduci potuit. Horas integras coram tabernaculo duxit. Cumque regulae

esset observantissimus, facile indignantem videres, si vel minima in eam peccata cerneret, cumque viva fide superiores Dei vicarios esse sibi persuasisset, summa veneratione eos prosequebatur. Ne s. puritatem in discrimen vel minimum adduceret, etiam in confessionali oculos, ne vagarentur, clausos retinebat. Paupertatis spiritu vere omnibus praeluxit. Chartulis resectis ad notandas res, quae utiles fore videbantur, plerumque usus est. Multis abhinc annis, cum a sacerdote quodam barbam sine sapone tonderi posse didicisset, id paupertati magis consonum esse ratus solam aquam adhibuit. Congregationem, in qua vota religiosa fecerat, toto animo amavit. Missas, quae per constitutiones ei assignatae erant liberae, ultro renuntiavit, ut stipendia communitati obvenirent, quod etiam, cum quinquagesimus sacerdotii eius annus rediisset, in missa iubilari facere voluit. Si quis forte Pater iuvenis se haud facile laborem aliquem praeparare posse conquestus est, P. Mayer libenti semper animo eum iuvare et onus in se suscipere paratus erat, ipse vero grata semper memoria tenuit, quidquid sibi officii praestitum erat.

Spiritus S. Alphonsi in Congregatione vigentis P. Mayer imago quasi expressa fuit. Confidimus itaque eum a Deo coronam accepisse, quam S. P. N. Alphonsus filiis suis genuinis paratam vidit. Nobis vero a Deo impetraret, precamur, ut vestigia eius sequentes eandem coronam adipiscamur. R. i. p.!